

Alte Drucke

**Passio Domi||NI NOSTRI IESV CRI-||sti secundum
Mattæum in de-||cem Homilias diuisa, per D. Ioannem
Chrysostomu[m]. || ... ||**

Johannes <Chrysostomus>

Parisiis, 1547

HOMILIA LXXXIII. EX CAP. XXVI.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150600

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

Hæc mihi dicta sunt, non vt coerceamus solum, sed vt corrigamus, & reducamus, & curâ omnium habeamus: sic enim & deum nobis propiciū faciemus, & eos multiplicabimus qui dignè communicare possint, vt tam vestri studij ac diligentia, quàm piæ in alios curæ magna præmia cōsequamur, gratia & misericordia domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXIII.
EX CAP. XXVI.

Mar. 14
Lucæ. 22

T

Vnc venit cum eis Iesus in villam quæ dicitur Geth-se-mane, & dicit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi, cepit contristari & mœstus esse, & dixit eis: Tristis est anima mea vsque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum, &c. Quoniam ipsi valde inhærebant, nec ab eo libenter separabantur, idcirco confedere tibi iubet, donec abiens oraret. Consueuerat namque seorsum orare, quod faciebat vt nos erudiret, quietem ac tranquillitatem in orationibus diligenter appetere. Tres autem secum accepit, & dicit eis. Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quamobrem alios non secum accepit: Ne laberentur, & caderent: illos autem solos elegit, qui gloriam eius in monte viderunt, quos tamen etiam dimisit, & paululum progressus orauit, dicens: Pater si possibile est, transeat à me calix iste: veniant tamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad eos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petre: Ita non potuisti vna hora vigilare mecum? Vigilate igitur, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Non frustra, neque ociose ad Petrum maxime dirigit orationem, quanquam & alij similiter dormirent: sed tãgere ipsum acrius etiam hinc voluit, ea de causa quam iam ante explicauimus. Verû quoniam & ceteri pariter dixerunt: cum enim Petrus dixisset: Et si oportuerit me tecum mori, nõ te nego: similiter, inquit, omnes discipuli dixerunt. Idcirco infirmitatem eorum redarguens omnes alloquitur: nam qui mori cû eo volebãt, nec quando contristabatur quidem, contristari negligentes potuerunt, sed victi à somno, ceciderunt. Ipse vero intetius orat, adeo vt vel sudores vberius defluerint. Ea rursus de causa, ne hypocrisis res ista videatur, neque possint hæretici dicere, quia sollicitudinem & tristitiã istam simulauerit, idcirco

Mar. 14

circo

circò & sudores quasi guttæ sanguinis defluerunt, & angelus confortans eum, & multa signa timoris apparuerunt. Nā ne quis ficta hæc audeat verba dicere, hac de causa. Hoc igitur quod dixit, trāseat si possibile est, humanitatē suā ostendit: eo verò quod, non vt ego volo, sed vt tu, sublimen admirabilis philosophiæ virtutem tradidit: cū exemplo nos doceat, etiam natura horrore perculsis, non esse morientis faciem solummodo, videre quoque addidit: nec verba rursū amentibus sufficiunt, rem magis quærentibus: & rem ergo morientis adhibuit, vt vel qui valde contentiosi & pertinaces sunt, credere possint vere hominem factū, verēque mortuum fuisse. Si enim quū & vultus, & verba, & res mororem significauerūt, discernitur tamen à nōnullis passio: quid nā dicerent, si ista nō essent. Vides quot, quantisque dispensationis veritatē ostendit, cum his quæ loquitur, tum his quæ patitur? Venit deinde, ac dicit Petro: Sic non potuisti mecū vna hora vigilare? Omnes dormiebant, & Petrum coarguit, occultius eū de his reprehēdens quæ in superioribus fuerat locutus, ac ideo. Mecū non ociosē adiecit: sed quasi diceret, vigilare mecum non potuisti, & mecū mori poteris? Id etiā insinuat, quod sequitur: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Vides quomodo ipsos rursū ab arrogātia remouet, ac tristis mētis & humiles esse hortatur, deo totū attribuentes? & modo ad Petrum, modo communiter ad omnes verba dirigit. Et illi quidem dicit: Simon. Satanas petiit te *Luca. 22* cribrare, ego vero deprecatus sum pro te: communiter autem omnibus, orate non intrare in tentationem. Ita vbique arrogantia, atque pertinaciā amputat, & magis sollicitos facit: & ne acrior videatur, vniuersa mitigando dicit: Spiritus quidem promptus est caro autem infirma: & si enim mortē contemnere volueris, inquit, non poteris tamen, nisi deus tibi manū porrexerit, quum carnalis abhorreat sensus. *Rur-* sus autem abiens, orauit dicens: *Pater, si non potest istud transire à me, fiat voluntas tua.* Hic ostendit voluntatem se dei omnino continere, & vbique voluntatem dei quærendam, & eligendam esse. *Rediit autem, & inuenit eos dormientes.* Nam præterquam quod nox erat, & intempesta, oculi etiam eorū morore grauabantur. *Ipsē autem profectus tertio idem orauit.* Confirmans hominē vere factū fuisse: quod enim secundo, & tertio fit in scripturis maximopere veritatem ostendit:

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

Gene. 41 veluti & Ioseph ad Pharaonem dicebat: Secundò id tibi apparuit somnium veritatis gratia: ita enim factum est, vt ita credas omnino futurum, hac de causa etiam ipse nò semel, sed bis & ter idem orando protulit, vt dispensatio firmiter crederetur. Cur autè iterù ad discipulos rediit? Vt eos redargueret, quonià adeò sopiti molestia erāt, vt neque praesentiam quidem eius sentirent: non tamen redarguit, sed paululū recessit, magnam eorū esse infirmitatem significans, qui nec increpati quidē vigilare potuerunt, non excitat autem, nec increpat amplius, ne perterritos magis terreat: sed recedens orauit, & rediens inquit: Dormite iam & requiescite. Quauis enim vigilare opus erat, significans tamen, quia nec aspicere quidē mala valebant, sed tugerent prae timore, ac fugarentur: & quia minimè eorum egeret auxilio, & tradidit omnino ipsum oporteret dormire inquit, & requiescite. *Ecce appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum.* Ostendit rursus dispensationis hoc factum fuisse, & simul animos ipsorū erigit, eo quod dixit, tradetur in manus peccatorū: significat enim proteruitatis illorū hoc opus esse, non quia ipse peccato sit obnoxius. *Surgite eamus, ecce appropinquat qui me tradet.* Ita vndique ipsos erudit, non necessitatis, nec infirmitatis hanc rem fuisse, sed dispensationis cuiusdam inæstimabilis: praesciebat enim eos venturos, nec solum non fugit, verum etiam eos incescit. *Adhuc enim ipso loquente, ecce Iudas vnus ex duodecim, & cum ipso turba cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi.* Hæc sunt sacerdotum instrumenta cum lacernis, inquit, & lampadibus egrediuntur. Iudam autem iterum ex duodecim vnum dicere non veretur. *Qui autem tradebat eum, dedit autem eis signum dicens: Quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Proh dolor quātam anima prauitatem suscepit? quibus oculis tunc magistrum aspexit? quo porro osculatus ore est? O sceleratissimā mentem, quid cogitauit? quid ausa est? quod signum proditiōis dedit? *Quemcunque osculabor, inquit, cōfidebat enim in lenitate magistri: quæ res maxime omnium cōfundere illum, & omni priuare venia sufficit, quia mitem atque mansuetum prodebat magistrum.* Sed cur nam hoc signum datum est? Quia sapius circumuentus ab ipsis pertransiuit per medium ipsorum nescientibus ipsis: quod & tunc factum fuisset, nisi ipse assensisset.

fisset. Et hac re volens eos erudire, etiam tunc tenebris oculos eorū inuoluit. At tunc interrogauit, dicens: Quem quaeritis? & quāuis laternas & lampades, & Iudam ipsum secum haberent, nō nouerunt tamen, sed respōderunt, Iesum. Quibus ipse: ego sum, quem quaeritis. Et ad Iudam: Amice, inquit, ad quid venisti? Postquam enim vires patefecerat suas, tunc iam permisit, Lucas autem ostendit in ipsa quoque hora qua traditus est, Iudam corripuisse, dicendo: Iudas, osculo filium hominis tradis: ac si diceret, non te pudet in habitu proditionis venire: sed tamen quoniam neque sic eum prohibuit, & osculari dignatus est, & ultro se dedit, tunc immiserunt in eum manus, & tenuerunt illum. Ipsa nocte in qua comederūt pascha, tanta infania, tantōque furore agitabantur. Nihil tamē omnino potuissent, nisi ipse permisisset. Idcirco Iudas maxima non euitabit supplicia, quinimo multo magis iure vexabitur, quia omnipotentia, humilitatis, lenitatisque domini tot tantāque habens argumenta, omnem feram beluam crudelitate superauit. Hæc igitur considerantes, auaritiam fugiamus. Auaritia enim tunc illi furorem immisit: auaritia omnes qui ei seruiunt crudeles efficit atque atroces. Nam si propriam auarus salutem negligit, quid faciet de aliena? Præterea sic tetra & tyrannica hæc passio est, vt vehementissimam etiam corporis libidinem nonnunquā superet. Erubescendum igitur est, quia pecunia: parcimonia à luxuria multi se aliquādo referuarūt: timore autē Christi modestē viuere, atque honestē noluerūt. Fugiamus ergo ipsam, fugiamus inquam, nunquam enim cessabo id prædicās. Cur enim aurū homo accumulas? Cur seruitutē hanc maiorem, duriorēque tibi cōstituis? Cur fœdiorē tibi carcerem paras? Cur maioribus te curis quotidie angis? Putas tuas omnes esse quæ in metallis sunt auri venas, quæ in ærariis regū argētī pōdera. Quippe si hæc omnia tua essent, diligēter seruares, neque vnquam vtereris. Nam si modo his quæ habes nō vteris, sed tanquā ab alienis magnopere abstines, multo diligētius si plura possideres id certē faceres. Nempe quanto plura possidet auarus, tātō parcior solet fieri. Sed certior sum, inquires, quia hæc mea sunt: Existimatione igitur, non vsu rerum possessionem diuitiarum requiris. At inquires, vnerabilior apud homines sum pecuniis abundans, & plerisque timendus: imō vero cunctis diuitibus, pauperibus, la-

IN CAP. MATTHAEI XXVI.

borantibus, ceterisque huiusmodi hominibus facillè cõtem-
nendus. Vis metui atque esse terrori, abiice causas, quibus te
illi carpere possunt, qui huic rei multam dant operam. Non
audis quid trito prouerbio dicitur? Centum simul viros vnũ
pauperem, atque nudum spoliare non posse. Maxima enim
paupertatis propugnatione defenditur, quem nullus rex,
nullus imperator vincere possit: auaro autem vniuersi facillè
possunt obesse, neque homines solum, verum etiam tineæ,
atque vermes eum aggrediuntur. Cur dico, tineas & vermes,
quum tẽpus solum, nulla re addita, sui ipsius naturã maximè
talibus officere possit? Quæ igitur diuitiarum est voluptas,
tu explices oro. Ego enim dolores, & mœrores ipsarum vi-
deo. Sed qui sunt, inquires, isti? Curæ, insidiæ, desidia, odium,
timor, perpetua sitis, & mœstitia sempiterna. Nam quemad-
modum, si quis amans mulierem, amplexus uti non possit,
extremo dolore cruciatur: si diuites facultate quam habet,
si auari sunt, nullo modo se satiare possunt: sed tale sibi acci-
dit, quale quidam vir sapiens de eunuchis dicit: Cupiditas au-
tem eunuchi virginittis adulescentulæ florem nititur eri-
pere. Sicut igitur eunuchus virginẽ amplexus ingemiscit,
sic omnes qui diuitiis inhiant. Qui autẽ possit omnia perse-
qui, aut exponere, quomodo vniuersis fastidio est auarus,
seruis, vicinis, rempublicam gerentibus, agricolis, atque in-
opibus iniuria læsis, vxori præcipuè, atq; liberis, quos nõ vt
liberos, sed quasi mãcipia miserrimè solet educare? Sed mil-
le doloris, molestiæ, iræ, ac deniq; derisionis aduersus se ar-
gumenta præberet, si cõmuniter omnibus exhibendus pro-
poneretur. His igitur cœdiis, his fastidiis, his doloribus aua-
ritia subiacet: imò vero multo pluribus. Nemo enim hæc o-
ratione assequetur, quæ cùm periculo in dies experimur. Tu
verò voluptates modo mihi expone quæ inde oriantur. Vi-
deor, inquit, diues esse, & diuitem me omnes æstimât. Quæ
nam est hæc voluptas, si pateris inuidiam, solummodo vt pu-
teris? Sed uomẽ, inquires, maximè habeo. Rectè id dicis, nem-
pe huiusmodi diuitiæ nomen solummodo sunt omni re deso-
late. Sed lætatur hæc æstimatione diues inquis. Eadem re læ-
tatur, pro qua sibi valde dolendum esset. Quam ob rem do-
lendum? Quia ipsum inutilem, vilẽ, ac timidum ad omnia
reddit, in peregrinationem proficisci non audet, mortẽ mul-
to magis, quàm alij formidat: pecuniarum potius, quàm lu-
cis

*Auarus
omnibus
inutilis &
fastidio
est.*

eis cupidus: hic pulchritudine cœli nō delectatur, quia sibi
 non affert aurum, nec magnitudine, ac motu solis, quoniam
 nō immittit in domum suam aureos radios. Sed multi sunt,
 inquit, qui iucundē diuitiis fruuntur, viuentes in deliciis,
 ventrem colentes, vino se replentes, magnificē omnia præ-
 parātes. Peiores illis modo nominasti, qui maximē omni ab-
 vsu distabant pecuniarum. Nam auarus quidem cupiditate
 æris alligatus, saltē ab aliis abstinet vitiis, illi vero abiectio-
 res multo sunt, quum ad ea quę diximus turpissimō aliorum
 quoque vitiōrū dominatu scēdantur, truculentissimis quasi
 tyrānis, ventri, voluptati corporis, cæterisq; vitiis quotidie
 seruiētes, scorta diligēter alentes, cœnas opiparē sumptuo-
 sas præparantes, parasitos, assentatores studiōse colligentes,
 & ad cupidines, quas natura non sustinet incitantes, mille
 propter hæc ægritudinibus tam corpus, quā animam con-
 ficientes. Non enim ad necessitatem, sed ad corruptionem
 corporis, & animæ perditionem rebus vtuntur, & idem fa-
 ciunt, quemadmodum si summa corpore ornatō diligentia,
 pudeat ad sui ipsius vsum pecuniam cōsumere. Quas ob res
 ille solus vera fruitur voluptate, ac rerum suarum dominus
 est, qui diuitiis rectē vtitur: alij autē omnes serui, atque man-
 cipia sunt: passionēs enim animæ & corporis ægrotationes
 adaugent. Quæ igitur tranquillitas, aut voluptas ibi animi
 est, vbi continua obsessio, bellum ingens, & tempestas vni-
 uersos maris fluctus exuperans viget? Pecunia quippe si a-
 mentem hominem inuenerit, insanum omnino facit: si lasci-
 uum, in maiorem impellit luxuriam: pauperibus prædicare
 audet nullum esse sapientiæ, ac prudentiæ lucrum. Maxima
 enim ignorantia non iniuria tenetur. Nemo quippe captus
 luminibus, lucis iucunditatē cognoscere potest. Salomonem
 dicentē audias: tanto sapientem insipienti præstare, quantū
 inter lucem & tenebras interest. Qua igitur ratione docere
 poterimus eum, qui degit in tenebris? Pecuniæ nempe cupi-
 ditas tenebra est, qua efficitur, vt aliter, quā se habeāt res
 videantur: sed quemadmodum si quis in profundissimis te-
 nebris, aut vas aureum, aut lapides preciosos, aut vestes au-
 reas videat, dignitatem earum rerum discernere nō potest:
 pariter certē auarus optimarū rerum pulchritudinem nullo
 modo percipit. Depelle igitur huius passionis caliginem, &
 tunc naturam rerum cognosces, quæ nusquam sic aperit, vt

Eccle. 2.

IN CAP. MATTHAEI. XXVI.

in paupertate discitur: nusquam ita probè cognoscuntur ea quæ quum nō sint, esse putantur, quemadmodum in philosophia. Sed ò stultos homines illos, qui pauperibus maledicunt, dicentes inopia vniuersam perturbari vitam, & dedecore claras nōnunquam domos maculari: quod est enim hoc dedecus, dic quaeso? Non est sibi constructus ebore lectulus, nō argentea vasa, sed famia cuncta sunt, & lignea, ac magna istud gloria, & nobilitas domus est. Iterum enim secularium rerum contemptus vniuersum sæpenumero studium, totamque operam ad curam animæ conuertit. Quare quum ab exterioribus nimium pendere hominem videas, tunc de dedecore illius erubescere debes. Nullus enim habitus, nulla honesta species in diuitum ædibus aspicitur. Nam quando vides ligna peripetasmatis, lectos exornatos argento, quasi in theatro, & superba scenarum pompa: quid hac deformitate deformius fieri potest? Quæ igitur domus orchestra, ac tripudiorum locis similis est: diuitis ne an pauperis? Diuitis certè: hæc ergo dedecoris plena est. E regione autem quæ domus, Pauli aut Abrahæ domui conferri potest? nōne domus inopis? Hæc igitur optima, atque probatissima est: quod vt melius discas, Zachæi domum cogitatione ingrediaris, & cōsidera, quum audisset Christum apud eum mansurum, quomodo eam ornavit. Non enim curriculo ad vicinos cōtendit, mēsas, sedes, subsellia petens eburnea, nec extraxit è loculis Laconica quædam mensarū velamina, sed ornatu Christo gratissimo decorauit. Quis porro iste? Dimidium, inquit, rerum mearum do pauperibus, & quadruplicata reddo quæ rapui. Sic & nos, oro, domos nostras exornemus, vt Christum suscipere mereamur, hæc pulcherrima sunt portarum velamina. Hæc in cœlis solummodo fiunt, ibi texuntur, ibique ista sunt, ibi cœlorum rex habitat. Si verò aliter ornabis, diabolus, & illius conuocas choros. Caterum Christus ad Matthæum quoque publicanum diuertit: quid igitur ille fecit? Voluntate prius seipsum ornavit optima, quæ sibi persuasit neglectis omnibus Christum esse sequendum, Sic & Cornelius orationibus, & eleemosynis domum suam ornavit. Vnde factum est, vt vsque in hodiernam diem fulgentissimam habitet regiam. Vilitas enim, & deformitas domus, non à vasis inordinatè proiectis, non à neglecto lectulo, non à muris fumo decoloratis, sed ab improbitate

Inc. 19

Act. 10

tate habitantium cernitur. Quod inde Christus ostendit; quia virtute habitantis vel vilissimas petere casas non dedignatur. Ad improborum autem ædes etiam si aureis contegantur laquearibus, nūquam tamē ingreditur. Illa igitur regia rutilantissima est, in qua dñs omnium habitat. Hęc vero quāuis aureis tectis, ingentibūsq; columnis constet, clodacis tamen, & omni sorditie confluentibus riuus similis est, cū diaboli vasa in ea contineantur. Hęc mihi non de diuitibus his, qui vt importet, impendunt: sed de rapacibus, & auaris dicta sunt, hic nullum studiū nulla cura de rebus necessariis est, sed omnis opera pro ventre, ac turpitudine consumitur, ibi ad re&ē philosophādum omnia impenduntur. Quapropter nusquam videmus Christum in splendidas ædes diuertisse, sed regiis omisiss, & molles indutis purpuras posthabitis, publicanorum casas & piscatorum eligebat. Quare tu etiam cū ipsum in domum tuam vocare volueris eleemosyna, orationib⁹, supplicationibus, vigiliis ipsam diligenter ornato. Hęc Christi regis ornāmēta sunt, illa vero māmōnæ, qui hostis Christi atque inimicus est: quas ob res nemo vilitate domus erubescat, si his ornamentis decoramentis eam decorat, nemo magnificētiā ædium sublimis incedat: imō verō magis erubescat, & altis omnino contemptis palatiis, humiles eligat casas, vt ī hac vita Christum suscipiat, & in futura æternis ædibus perfruatur, gratiā & misericordiā Domini nostri Iesu Christi, Amen.

HOMILIA LXXXV EXCAP. XXVI.

Etece vnus eorum qui cum Christo erant, extendens manum suam, euaginouit gladium, & cum percussisset seruum pōtificis amputauit auriculam eius dextram. Tunc dicit ei Iesus, Conuertere gladium in locum suum: Oēs enim qui acceperint gladiū, gladio peribūt, &c. Quis nā est iste qui auriculā serui amputauit? Petrū certē fuisse Ioānes testatur, cuius ardētissimo animo iure ista res attribuitur. Cēterū, illud querendū est, cuius rei gratia gladios ferebāt? Nō enim hinc solum, verumetiam inde liquido patet gladios eos habuisse, quia interrogati respōderunt, duos se gladios portare. Sed quā ob rem Christi istud permisit? Lucas sanē ait, quia dixit ad eos, Num quādo vos absque pera, calceamētisq; misistis, re quapiam caruistis?

Ioh. 18.

Luc. 22.